Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1359
Quelle:
Copyright:

ferum: *Ego frater Leonardus praxatoris hanc de dei gratia collegi ex ottone* (de Castro Rodulphi?) *et feci collacionem ad almam vniuersitatem wiennens. in vigilia omnium sanctorum Anno &c. 63°. lectoratus mei anno 2°.* Deest vir hic, de quo plura sequuntur, in *Lucii Bibl. Ord. Carm.* In *Locheri Speculo Acad. Vien.* memoratur Facultatis Theol. Decanus ad an. 1482. et 86. II. *Sermo ad vniuersitatem pro festo purificationis Per fratrem leon. prax. Anno &c. 67.* In *Wienna Apud Sanctum Stephanum.* In illud: *Illa venit ad eum portans Ramum oliue.* Gen. 8. *Eminentissimi patres — Si sancta mater ecclesia votiuis iocundisque gaudiorum tripudijs* &c. III. *Sermo ad Clerum de Sancto Ladislao.* Et in *fol.* praevio: *Ego frater Leonhardus praxatoris de Cham* (Bavariae) *hanc dei gratia feci collacionem Wienne ad vniuersitatem. In conuentu fratrum predicatorum pro Nacione Vngarorum Anno M° CCCC° 62°. Cursoratus mei anno 2°. seu ultimo.* In calce pene eadem, addito tamen: *sed idem frater est professus fratrum Carmelitarum*, ne Dominicanum putes. Thema et initium Sermonis: *Noctem illam duxit rex insompnem. Hest. 6. Patres prestantissimi — Conuenientibus uobis in unum ad presentem celebritatem festiuitatis annue* &c. En jam Sec. XV. Nationum Indigetes *Viennae* Panegyrico annuo ornatos. IV. Sermo, cujus fronti subscriptum: *Ego frater Leonhardus praxatoris de cham feci de gratia dei hanc collacionem ad vniuersitatem In conuentu nostro wiennensi* (loco modernae Curiae, sive Cancellariae Bellicae) *In principio mei lectoratus Anno domini M° CCCC° 62°. In uigilia assumpcionis gloriose virginis Marie.* Thema et initium: *Arbor bona fructus bonos facit. Matth. 7. Patres prestantissimi — De gloriosissime virginis laudibus* &c.

X. *fol.* 319. *Incipit speculum ecclesie compositum a domino Hugone de sancto uictore cardinali.* *Hugo Victorinus* nec Cardinalis, nec Autor hujus sub initia Typographiae non semel impressi Libelli fuit, sed *Hugo a S. Caro* O. P. et demum S. *Sabinae* Cardinalis, mortuus a. 1260. Incipit ille: *Dicit apostolus ad hephesios VI. Induite uos armaturam dei* &c. Vestesque primum Sacerdotales, tum ipsas Sacrificii Partes et Ritus expendit. Nomen *Roschach* in margine adscriptum non divino. Vide et *Cod.* DCCCXLI.

XI. *fol.* 327. p. 2. Varia de triginta Missis *Gregorii* M. Papae, de Dictis Papae *Clementis* de Jejunio. De Jejunio Diei *Veneris* omnibus praeferendo. De Virtutibus medicis Granorum *Juniperi.* Et his nomen Roschach adjectum.

XII. *fol.* 329. Sermones breves VI. Ad Academicos. I. de Nativitate *Christi* adscripto nomine *Roschach.* II. de S. *Vincentio* M. III. de S. *Gregorio* Magno.